



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXXIII. Arnoldvs. LVII. Arch. XII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

LXXXII. HILLINVS. LVI. ARCH.
XI. ELECTOR.

Hillinus eadem ferè ætate electus Archipræsul, qua Conradus III. Imperator vitâ est functus: unde Francofurtum evocatus cum Electoribus Imperii, Fridericu I. cognomento Aenobarbum Imperatorem elegit. Peracta electio ne Romam missus ad Eugenium Pontificem partim Imperii, partim sui muneric ergo dum venit, Romam venisse & vidisse profuit: præter Pallium enim aliâque Archiepiscopis Trevirorum propria, novis antiqua privilegia sunt confirmata. Crevit inde etiam Electoris authoritas, quæ tum in causis Ecclesiæ, tum Imperii ambiguis plurimùm valuit, tanto nimirum tempore, quanto inter Pontificem & Cæsarem stetit pax integra & amicitia: postquam enim Fridericus Victoris pseudopontificis partes est amplexus, Hillinus domi hærens, vel morbum sensit, vel simulavit. Verùm & domi lis nata cum Conrado Friderici Cæsarlis fratre, Trevirensi Advocato Palatino, uti vocabant, præter spem est discussa brevissimè: Imperator namque vel æquitatis studio, vel Electorem sibi lucratus denuo, sententiam dixit Hillino exoptatissimam. Accessit sententia altera à Friderico pro Electore contra cives lata, qui more novissimo tribus adornare, magistros tribus præficere, ac jure decernere sunt ausi. Inter partæ pacis deinde studia Hillino curæ fuit, arcem Ehrenbreitsteinianam communire, & necessariis quibusvis rebus instruere; summæ item Trevirorum ædi majus spatium dare, quam curam & mors, & Medici interruperunt an. 1169. Sed. an. 17.

LXXXIII. ARNOLDVS. LVII. ARCH.
XII. ELECTOR.

Arnoldus ab Ubiis translatus Treviros, annitente plurimùm Friderico Imperatore electus, constanter pacem coluit, ut
P 3 ani-

animarum saluti se suosque totos servaret; quem in finem non paucos ex nobilitate armorum suasores, revera prædones, datâ prædâ remisit. At Fridericus Lotharingiæ Dux & Comes Nassovius, cùm arma ponere nullo modo viderentur, uterque Arnoldi felicitate magna repulsus pacem petiit, dum paulò antè petitam negavit. Otium ab armis nactus Archidioecesis suam lustrando, Ecclesias passim ære alieno obstrictas insigni liberalitate levavit. Nec multò post in Italiā cum Cæsare profectus, post optatam Pontifici & Venetis victoriam Alexandrum Friderico vidit conciliari, vidisse talia contentus: unde in Germaniam reversus, Himmerodensis claustrī solitudine delectatus an. 1183. mortem exspectatam animo æquissimo exceptit. Sed. an. 14. Mortuo Arnoldo septem annis à geminis partibus pugnatum est, aliis Rudolphum Præpositum, aliis Folmarum Archidiaconum poscentibus. Inter duos litigantes gaudere demum licuit tertio, qui fuit

LXXXIV. IOANNES. LVIII. ARCH.
XIII. ELECTOR.

Joannes Henrici VI. Imperatoris Cancellarius, ut vocamus, Diœcesi suæ quietem restituit, & eiusdem bona promovit, verè pastor vigilantissimus. Inter opera eiusdem prima venit urbs Trevirorum novis mœnibus refecta, & templum Noviomagense consecratum. Cum variis deinde Comitibus partim jure, partim gladio certavit, ut rem Ecclesiæ integrum servaret. A profanis conversus ad sacra, dum exornandæ ædi summae se totum impendit, inconfutabilem Christi Domini togam denuo inventam confertissimo populo an. 1196. exhibuit. Adversus plurima illius temporis discrimina ut immunem se servaret, nunc Philippi, nunc Ottonis Imperatorum inter se pugnantium partes amplecti necessitas, & mutata in tempore ratio suadebat, ubi ab Ottone Treviri accepere singulare privilegium, quod *Fundamentam Trevirice*

liber-